

**Dissertatio inauguralis chirurgico medica de usu opii chirurgico ... / [Peter Hermann Buhr].**

**Contributors**

Buhr, Peter Hermann, 1755-  
Universität Göttingen.

**Publication/Creation**

Gottingae : Litteris Joannis Henrici Schulzii, [1780]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/cqspuseq>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO  
INAVGVRALIS CHIRVRGICO MEDICA  
DE  
VSV OPII CHIRVRGICO

---

QVAM  
CONSENTIENTE  
ILLVSTRI MEDICORVM ORDINE  
PRO  
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS OBTINENDIS  
IN  
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

D. XVI. FEBR. A. MDCCLXXX.

PVBLICE DEFENDET

PETRVS HERMANNVS BVHR  
HADELENSIS.

---

GOTTINGAE,  
LITTERIS IOANNIS HENRICI SCHVLZII  
ACAD. TYPOGR.



48416

DISSERTATIO

IN ACADEMIA CHIRURGICA MEDICA

DE

ARTIBUS CHIRURGICIS

QVAE

CONSTITUUNT

INSTITUTIONEM MEDICINAM ORDINE

ET

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBUS OBTINENDIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

DE XVI. FEBRU. A. MDCCCLXX.

PRÆBIC PRÆBET

PETRAVS HERMANNVS BÄHR

ALUMNVS

GOTTINGÆ

LITTERÆ JOHANNIS HENRICI BOHLENII

Acad. Typogr.





§. I.

**I**nter efficaciora medicamenta, quorum vires sedulo perscrutari medicum oportet, et quorum usus cautus et tempestivus egregie variis in morbis proficit, abusus vero perniciem insignem adfert, opium inprimis eminet, cuius vires iam accuratius exponere, constitui. Est autem opium materia resinoso gummosa, coloris rubicundo bruni, odoris virosi fortis, saporis primum nauseosi et amari, paullo post acris, calidique, quo caloris sensu lingua, palatum, et labia ultra quindecim minuta temporis prima adficiuntur, et ipsae nares ita irritantur, ut in sternutationem propensio oriatur. (v. Ill. MURRAY apparatus medicaminum Vol. II. p. 219.) Vires, quas in corpus humanum exferit opium, variae sunt, pro varia dosi, variaque morbi, in quo exhibetur, natura; excitat enim subinde, et vires cordis et nervorum leniter auget; subinde autem, sensus obtundit, solidorumque motus enormes pat-

A cat,






cat, coercet. Egregiam quoque vim antisepticam opio inesse Ill. PRINGLE (*Beobachtungen über die Krankheiten der Armee, im Anhang, p. 430.*) docuit. Quod autem de aliis quibuscunque remediis valet, de opio quoque dici potest; scilicet quantum plurimis in morbis salutis illud adfert, tantum quoque subinde noxae et periculi creat, illis vero praecipue in casibus, vbi vel plethora adest, vel impuritas primarum viarum.

## §. 2.

Haec de opio generatim dicta sint, iam speciatim de variis morbis chirurgicis, vbi vsum illius quam maxime proficuum esse, experientia docet. Primo autem egregie conuenit in vulneribus quibuscunque recentibus, vbi dolorem et irritationem in vulnere mitigando, animum aegroti perturbatum tranquillum reddendo, humorum solidorumque motus enormes egregie coercet "febrisque vehementiam potenter minuit. Caue vero, ne hoc in casu paruas nimis illius doses exhibeas, quae turbas solidorum fluidorumque vix coercent, sed potius vi quasi excitante cardiaca augent. Id quoque inprimis opium solidorum fluidorumque agitationem inflammatoriam febrilem sedando, hic praestat, vt ad coercendam inflammationem opus raro habeat Chirurgus repetitis venaesectionibus, quibus aegrotus adeo saepe exhauritur, vt suppurationi subsequenti perferendae impar sit. Haec autem omnia confirmat experientia Cel. BELL, (v. *Treatise on the Theory and management of Ulcers, p. 45.*) qui de vfu opii in vulneribus recentioribus sanandis ita disserit."


These





"These different evacuations being premised the next Object of Consequence is, to procure ease and quietness to the Patient, which is often, in inflammatory Cases, of more real service, than any other Circumstance whatever. The most effectual Remedy for this Purpose is *Opium*, which, when pain and irritation are considerable, as in extensive Inflammations very frequently happens, should never be omitted. In large Wounds, especially after Amputations and other capital Operations, in punctures of all Kinds too, large dozes of *Opium* are always attended with remarkable good Effects. In all such Cases however, opium, in order to have a proper Influence, should, as was observed, be administered in very *large dozes*, otherwise, it seems rather to have a contrary Effect; a Circumstance, which is perhaps the chief Reason, for opiates in general having been very unjustly condemned in every Case of inflammation." Consentit quoque Illustris Archiater Regius RICHTER, (*v. Chir. Bibl. B. I. St. I. p. 118.*) qui opii vsum in cura vulnerum recentiorum magnis laudibus extollit. Haec vero tantum de primis morbi diebus intelligi debent, nam si morbo iam adulto sitis urget, lingua alba, arida, alius obstructa, pulsus durus, urina valde rubra est, opii vsus tutus non amplius est, certe caute et cum iudicio instituendus est. Facile ceterum intelligitur, in eiusmodi casu opium, quicquid hic peragendum est, solum haud praestare, sed alia quoque remedia requiri, eo inprimis respicere Chirurgum debere, ut quicquid irritat, vulnerique molestum est, tollatur, inprimis vero sanguinis copiam, si nimia adest, venaesectione imminuat.





## §. 3.

Haud minorem efficaciam in vlceribus sanandis, iis inprimis, quae laxa, pallida, flaccida sunt, opium praestare, teste *Illustri Richter* (*Chir. Bibl. B. 5. St. 1. p. 117.*) experientia docet. Neque mirum est, princeps enim eiusmodi vlcerum causa laxitas, debilitas, torpor totius corporis est; opium autem parva et frequenti dosi exhibitum vires erigere, motumque humorum excitare paullo ante iam probavi. Neque in eiusmodi casu internus solummodo, sed et externus illius usus quam maxime proficius est; egregie enim conducit, eiusmodi vlcera frequenter solutione opii humectari. Maximum quoque emolumentum adfert iis in vlceribus, quae acriter dolent, siue ab inflammatione, siue ab acrimonia effluentis saniei dolor oriatur.

## §. 4.

Aduersus gangraenam illam, quae praecipue ex debilitate oritur, et in digitis pedum vtplurimum primo apparet, recentiores quidam, et inter illos quidem praecipue Celebris Angliae Chirurgus, *POTT*, (v. illius *Chirurgische Wahrnehmungen* p. 158.) usum opii quam maxime commendant. Oritur scilicet haec gangraenae species, si ex quacunque demum causa, vel ex senio, vel morbis, vel ingentibus diaetae erroribus adeo debilitantur vires cordis et arteriarum, vt propellendae humorum massae ad extremitates vsque impares sint, vnde humorum in partibus his a corde remotis motus languet, calorque et vita perit. Sequenti vero modo vtplurimum haec gangraena oritur. Primum plerumque macula apparet in digito vtpluri-





plurimum quodam pedis, rubra, quae sensim livida, nigraque euadit, lente proserpit, tandemque totum pedem occupat. Lentum plerumque morbi incrementum est, adeo, vt subinde intra anni spatium vix ad pedem perueniat. Quodsi vero huc peruenit, febris plerumque oritur, atque tunc quidem celerius increfcit morbus, exitiumque subito creat. Saepe ab initio statim dolor aegrum excruciat, inprimis noctu, nec solum in loco adfecto, sed non raro in toto pede. Immo factum aliquando est, vt antequam macula apparet, dolor totum membrum quam maxime adficeret. Neque tamen semper macula, sed subinde quoque vlcusculum primum morbi symptoma est, lividi pallidique coloris. Opulentos frequentius quam pauperes, frequentissime vero eos dirus hic morbus corripit, qui Bacchi Venerisque abusu vires vitae labefactarunt. Argui quoque non raro potest otium, vitaeque sedentaria, rarius certe hoc morbo laborant, qui aere liberiori, vitaeque exercitata fruuntur; egregie enim vires cordis motumque humorum excitat, stasesque in extremitatibus dissipat motus muscularis. Atque in hac quidem gangraenae specie opium egregie prodest, tantumque saepe efficit, quantum vix cortex peruvianus. Dari potest cum cortice peruviano, interim observauit Cel. POTT, idem praestitisse solum opium, quod cum china coniunctum praestat. Parua vero dosi exhiberi debet, cauendumque sedulo est, ne vim narcoticam exferat, qua quidem labefactat potius vires, quae erigi hic debent. Tertia quaque hora granulum unum Cel. POTT praebet, simul dietam nutrientem aegro concedit, emollientesque fomentationes et cataplasmata ad mitigandum dolorem parti adfectae applicat. Nocent teste Cel. POTT, aromatica quaevis medicamenta externe





adhibita, in aliis gangraenae speciebus adeo salubria; cum hic tensionem et dolorem augeant, morbumque in genere peiorem reddant. Eandem ob causam scarificatio partis gangraenosae, quae aliis in casibus plurimum plerumque emolumentum adfert, damnum potius quam salutem hic parit, irritando partes dolentes, doloremque et febrem augendo. Ceterum facile intelligitur, non cuilibet gangraenae huius indolis sanandae par esse posse remedium, quod laudavi, cum causa illius ita saepe comparata sit, ut necessario omnem medelam respuat. Locus e. g. medelae non est, si causa huius gangraenae arteria ossea, qualem describit Ill. v. SWIETEN (Comment. p. 750.) et Cel. NAISCH (v. *Abhandlungen praktischen und chirurgischen Inhalts aus den phil. Transactionen der Jahre 1719. bis 1744. Theil 2.*) vel tumor Scirrhus aut cysticus (qualem observavit MORGAGNI de sedib. et causis morborum epist. 54. sect. 23.) arteriam aut venam comprimens, est.

### §. 5.

Mentio quoque inprimis facienda est egregiae efficaciae, quam ad profligandum dirissimum malum, tetanum scilicet, spasmusque maxillae ex vulnere natum, opium exserit. Causa huius morbi frequens est vulnus, inprimis partis tendinosae et aponeuroticae, e. g. digiti cuiusdam manus vel pedis. Mirum sine dubio videri potest, vulnera partium, quae omni sensu carere dicuntur, tam ingentia mala creare, nervosque totius corporis adeo afficere; varia tamen hic occurrunt, quibus hoc explicari potest.

Et






Et primo quidem negari nullo modo potest, partes, quae in statu sano omni sensu destitutae esse videntur, morbo correptas acute non raro sentire. Morbus autem ille, qui sanae partis sensibilitatem et irritabilitatem inprimis auget, illamque, si tam debilis est, ut vix percipiatur, ad insignem gradum extollit, est inflammatio. Certe quotidiana experientia docet, partes, quae sanae parum immo non omnino sentire videntur, acute sentire, ingentiaque symptomata nervorum irritationi tribuenda creare, quando inflammantur. Neque est, quod obiicias, ex Anatomicorum observatione tendines nervis penitus carere, cum Chirurgus quotidie observet, ex tendinibus, quae exfoliationem patiuntur, carnem excrecere, exquisiti sensus.

Porro partium tendinosarum tam arcta strictaque structura est, ut si quid humorum ex causa quacunque inter illas effunditur, vasa pauca angustaque, quibus haec partes instructae sunt, vix illud resorbeant. Stagnat igitur, quod effusum est, acrescit, irritat. Dicta probat vehemens inflammatio digiti, quae panaritium vocatur, quae saepissime ex levi punctura oritur, subitoque mitescit, imo disparet, simulatque incisio peragitur, ex qua plerumque guttula ichoris elabitur.

Pus, quod partes tendinosae et aponeuroticae generant, malae ut plurimum indolis est, indigestum, tenue, acre, et sine dubio quibusdam in casibus, non parum adfert, ad exitanda varia illa inprimis spastica symptomata, quae haec vulnera comitari solent.

Cum





Cum partes tendinosae et aponeuroticae firmioris texturae sint, causae cuicunque, quae illas distendit, parum ut plurimum cedunt, et vix elongari et extendi se patiuntur. Explicari inde potest, cur vehementia plerumque symptomata, dirus dolor, gangraenaeque magnum periculum plerumque comitatur inflammationem partium carnosarum, quae sub aponeurosi latent. Intumescere enim nequeunt partes illae inflammatae, ob incumbentem aponeurosin, quae comprimit illas, motum humorum in illis quasi suffocat, gangraenam, dirosque dolores parit. Evanescent plerumque omnia haec symptomata, simulatque discinditur aponeurosis, partesque subiacentes inflammatae a molesta illa compressione liberantur.

Illud quoque monendum est, pus prope tendinem quendam natum, facile in vagina illa, quae circumdat tendinem, inscio Chirurgo ad remotas partes pertingere, variaque symptomata creare, quorum causam Chirurgus haud perspicit.

Addi tandem debet, illos non penitus errare, qui tendine semidiscisso, distendi integras fibras tendinosas violenter, hancque illarum violentam tensionem causam esse putant, vehementiorum symptomatum, quae in eiusmodi casu oriri plerumque solent. Certe experientia docet, obsilire ut plurimum omnia haec symptomata, simulatque tendo penitus discinditur. Egregie hoc probat observatio, quam Cl. VILDE (Journal de Medecine Tom. 50.) de homine narrat, cui tendinis Achillis dimidium discindebatur. Diras ille patiebatur convulsiones, statim evanidas, simulatque genu, quantum fieri poterat, flectebatur, et hoc quidem membri situ tendo laesus relaxabatur.

Atque






Atque haec quidem potiora esse puto momenta, ex quibus gravia illa et infueta symptomata explicari possunt, quae plerumque vulnera partium tendinosarum et aponeuroticarum comitari solent. Neque vero in his solis causa latere videtur diri illius symptomatis, de quo iam sermo mihi est, tetani scilicet, et spasmus maxillae. Aliam adhuc plerumque subesse causam accessoriam, quae dictis se iungit, inde apparet, quod saepissime occurrant vulnera tendinum sine omni gravi symptomate. Atque haec quidem causa accessoria duplicis generis mihi esse videtur.

Scilicet in aere subinde causa latere videtur; atque maritimus quidem aer hominibus vulneratis inprimis infestus est. Docet certe experientia plurimorum medicorum, tetanum illum et spasmum maxillae frequentissime observari in locis mari vicinis, rarius occurrere apud nos et quibuscunque aliis locis a mare remotis. Memoratu dignissima est, aeremque maritimum iure meritoque tanquam praecipuam causam tetani argui, egregie probat observatio Cel. BAION, (Histoire de Cayenne Tom. I.) qui regionem quandam mari quam maxime vicinam memorat, in qua spasmus ille, qui in vicinis locis frequentissime occurrebat, nunquam fere observabatur. Intererat scilicet huic regioni marique vicino tractus montium sylvis densissimis obtectus, qui aeris maritimi adflatum interceptabat. Caesis post aliquod tempus sylvis istis morbus in hac regione frequentissimus observabatur. Cuiusnam autem indolis noxia materia illa sit, quae aeri maritimo inest, vulneribus infesta, dici facile nequit. Putridae autem naturae illam subinde esse, certe vulneratos, qui in aere versantur, putridis exhalationibus inquinato, facile hoc spasmus  
B corri-





corripi experientia docet Cel. THEDEN (v. *Neue Bemerkungen und Erfahrungen* p. 161.) qui in nosocomio magno aegrotorum numero exhalationibusque putridis quam maxime referto plurimos vidit hoc spasmo correptos, deputato autem ope ventilatoris aere nullum amplius observavit hoc morbo affectum: immo addit, hunc spasmum non omnino observatum fuisse in cubiculis illis, quae aer purus liberiorque perflabat.

Transpirationem suppressam plurimum adferre ad creandum, de quo iam loquar, morbum, frequens plurimum medicorum experientia, inprimis vero etiam observatio Cel. SCHMUCKER (v. illius *chirurgische Wahrnehmungen*, 2 Theil, pag. 85.) docet, qui feminam narrat, cui mamma scirrhusa abscissa erat, die decimo tertio post operationem peractam bene valentem lectulum reliquisse et fenestrae apertae paullisper adstitisse. Correpta illa est paullo post spasmo maxillae letali.

### §. 6.

Si quid aegrotis gravi hoc morbo adfectis auxilii adferri potest, id teste omnium medicorum experientia vnice, certe potissimum fit vsu opii. Ex plurimis scriptoribus, qui opium in eiusmodi casu commendant, vnum tantum nomino, virum experientissimum, Cel. SCHMUCKER, qui (l. c. p. 88.) experientia, ait, me docuit, opium vnicum esse remedium, a quo in hoc morbo salus expectari potest. Adhiberi vero potest et interne et externe. Plurimi vero medicorum in eiusmodi casu opio solo vsi sunt, vt Cel. WHITE (*Cases of Surgery*.) FARR (vid. *medical Obser-*





Observations and Enquiries Vol. 4.) Cel. WINSLOW (v. Collectanea Hafnienſia.) Cel. HENCKEL, (v. eiusdem *Neue medicinische und chirurgische Anmerkungen*,) aliique. Alii vero opio corticem peruvianum, vt Cel. PLENCK (v. illius *Sammlung von Beobachtungen 2 Band.*) alii ſalvolatile cornu cervi, flores chamomillae et gummi ſagapenum, vt Cel. THEDEN (l. c.) egregio cum emolumento addiderunt. Cel. Medicus Gallus de la ROCHE (v. *Sammlungen auſerleſener Abhandlungen zum Gebrauch für praktische Aerzte B. 2. St. 3. pag. 135.*) vbi opium ſolum prodeſſe haud videtur, frictiones mercuriales commendat. Ceterum vero vulneris cura negligenda non omnino eſt; obtegendum ſcilicet illud eſt, humectandumque cataplaſmatibus fomentationibusque emollientibus, oleoſis, leniterque anodynis, ex floribus maluae, ſemin. lini, floribus chamomillae, inprimis vero herba cicutae paratis, vt quicquid tenſum hic eſt, relaxetur, quicquid adeſt irritationis, ſopiat, obtundatur. Si haec non ſufficiunt, diſcindendum eſt vulnus repetitis iſtibus, ampliandumque, vt quicquid acrimoniae forſan hic latet, exire poſſit, quicquid hic eſt diſtentum, relaxetur. Interim tamen ſubinde obſervatum eſt, haec omnia, quamquam ſedulo peracta, gravi huic morbo tollendo haud ſuffeciſſe; atque in tali quidem caſu, me quidem iudice, pars laeſa, ſi fieri id poſſeſt, abſcindenda eſt. Obſervatio certe docuit, opium, quod ante hanc operationem nihil effecerat, abſciſſa parte ſtatim egregios praeſtitiffe effectus. Neque magni momenti eſt iactura partis cuiusdam, vt digiti, in caſu, vbi vitae ſummum periculum adeſt.





Si quid autem in his casibus opium praestat, id solummodo magna dosi exhibitum praestat. Docet quoque observatio, eiusmodi aegrotos maximas opii doses ferre sine omni incommodo. Cel. FARR (l. c.) vnius diei spatio egregio cum successu dedit grana xxxvi opii; Cel. WINSLOV tertia quaque hora guttas xxvi laudani liquidi Sydenhami, Cel. WHITE intra quinque hebdomadam spatium grana opii cccxvii exhibuit. Pergendum in usu opii est, donec morbus mitescat, immo penitus dispereat: immo ne imminuenda dosi opii quidem est, antequam morbus penitus sublatus est; redire enim vehementiam mali, quod iam mitescebat, saepe observatum est, simulatque opium parcius rariusque exhibebatur.

Sedulo ceterum puto respiciendum esse in curatione huius morbi, ad causam illam accessoriam, quae cum vulnere iuncta malum excitavit. Quodsi itaque aer putridis exhalationibus refertus argui posse videtur, ego quidem inprimis corticem peruvianum cum opio convenire arbitror. Putredinis autem aliquid huic morbo plerumque admixtum esse, Cel. HILLARY (*Von den Krankheiten auf der Insel Barbados*) adfirmat, sequentibusque argumentis probat. Nocet, ait ille, plerumque in hoc morbo, vti in aliis putridis morbis, venaesectio; nocent purgantia; sanguis vena missus dissolutus plerumque reperitur: spasmi graves in morbis putridis inprimis frequenter occurrunt; frequenter inprimis occurrit morbis in locis maritimis, nosocomiisque. Certe apparet ex dictis, morbum hunc frequentissime, nisi semper, saltem in regione illa, ubi illum observavit Cel. HILLARY, putridae indolis esse, ideoque corticem peruvianum egregie hic convenire.

Quodsi





Quodsi autem ex transpiratione suppressa inprimis ortus videtur esse morbus, ego quidem inprimis methodo Cel. THEDEN uterer, opioque sal volatile cornu cervi admiscerem. Atque haec quidem de hoc morbo sufficiant.

§. 7.

Ad hernias incarceratas quoque a quibusdam, inprimis vero ab Illustri RICHTER (v. illius *Abhandlung von den Brüchen*, B. I. pag. 116.) opium valde commendatur. Ill. etiam TRALLES spasmi opii vsu aliquatenus mitigatis facillime reponi herniam incarceratam observavit. Verosimillimum scilicet est, herniarum incarcerationem saepe solis spasmi tribuendam esse. Certe occurrunt herniae incarceratae, in quibus neque inflammatio, neque fecum accumulatio animaduertitur, vbi abdomen tumore tympanitico adfectum est, symptomataque alia modo remittunt, modo iterum exacerbantur. Immo fit aliquando, vt per aliquot horas penitus dispareant. Credere in hoc casu non absolum est, spasmus subesse, quamquam sedes et indoles huius spasmi explicari accurate nequeat. Cuiuscunque autem indolis et originis spasmus ille sit, id certe constat, soluere in hoc casu opium incarcerationem, tollereque obstaculum, quod, quo minus reponatur hernia, impedit. Neque in hac solum incarcerationis specie, sed in aliis quoque, quae ex inflammatione vel accumulatione oriuntur, egregie subinde opium conuenit. Plurimum enim in his quoque casibus spasmorum morbo se admiscet, quod ex vomitu, singultu, frigidis extremitatibus, pulsu paruo duro intelligitur. Grauiorem reddunt spasticae hae molestiae morbum, qui sublati his molestiis vsu opii, non so-






lum mitior, sed et curatu facilius euadit; semper enim obstaculi aliquid ex spasmis his proficiscitur, quod, quominus reponatur hernia, vel medicamenta, quae hic requiruntur, exoptatum effectum edaat, impedit. Neque vero in his casibus omni incommodo caret opium, si incauta manu adhibetur. Facile enim intelligitur haud conuenire, ubi inflammatio gravis, et vehemens febris aegrum affligit, certe vena secanda est, antequam ad opium confugis. Addi in quocunque demum herniae incarceratae casu alia remedia possunt, quae anodynam opii virtutem iuuant, ut balnea tepida, cataplasmata ex herbis emollientibus anodynis inprimis cicuta, fomentationes, clysteres emollientes etc.

#### §. 8.

In variis capitis laesionibus, inprimis autem illis adfectibus, qui ex commotione cerebri oriuntur, vsum opii Celebris Angliae Chirurgus BROMFIELD (v. illius chirurgi- cal Observations and Cases Vol. I.) nuper commendauit. Damnat ille venae sectionem, purgantiaque remedia ab aliis valde in hoc casu laudata, laudibusque extollit vsum pulueris, quod ex nitri depurati et tartari vitriolati vnciiis quatuor, radicis glycyrrhizae, ipecacuanhae, opii vncia vna constat, et nomen a Celebris Angliae Medico, DOVERO, habet. Diaphoreticam huius pulueris virtutem iuuat vsus balneorum tepidorum. Quod si vero plethora adest, venam secat, alvumque ope clysterum apertam seruat. Afferit ille, symptomata, quae a commoto cerebro oriuntur, disparere plerumque, simulatque diaphoresis oritur. Continuandus vsus huius remedii est, quamdiu






diu symptomata durant, repetendusque est, si, postquam iam evanuerunt, iterum apparent. Nunquam hunc pulverem incommodi aliquid peperisse, semper plurimum emolumenti attulisse Cel. BROMFIELD adfirmat, observationibusque probat. Homo, cui ab insigni vi externa caput vulnerabatur, sensu motuque priuatus statim concidit. Vena secta, alvoque ope clysteris reſerato pulveris *Doveri* scrupulum vnum sumſit. Secundo die motus sensusque rediit, vertigo tamen, capitisque dolor illum adhuc vexauit, vnde quarta quauis hora Tincturae anodynae guttas decem sumſit, vſperi autem pulveris *Doveri* scrupulum, et conualuit. Quonam modo opium in eiusmodi casu proſit, explicare vix audeo. An excitat partes commotas, languore et atonia laborantes?

## §. 9.

Oculorum quoque variis morbis opium mederi experientia docet. Adverſus oculorum inflammationes illud BOERHAAVE (v. illius Tractatum de morbis oculorum) vena ſecta, alvoque purgata, adhibet, illudque dolorem et irritationem minuere, ſomnum tranquillitatemque reſtituere, morbumque mitigare immo tollere obſeruat. Ad maculas corneae diſſipandas idem magnus ille Medicus, cum pulvere ſtanni opium adhibet, miramque illius efficaciam praedicat. Egregia opium pollere vi, ſpiſſos ſtagnantesque, qui corneam pellucidam obſcuſcant, humores reſoluendi diſcutiendique, recentiorum quoque quorundam Chirurgorum Anglorum experientia probatur, qui forma emplaſtri ad reſoluendos tumores chronicos aliarum partium, e. g. Sarcocelen egregia cum vtilitate illud adhibent.





## §. 10.

Vetat temporis ratio, quae habenda mihi est, pergere in exponenda fufius opii egregia efficacia, ad fanandos alios quosdam adhuc morbos, quorum mentionem nondum feci. Paucis itaque tantum addo, opium sub vfu externo variis in cafibus vim falutarem anodynam aequae exferere, ac sub vfu interno. Nota cuilibet est mira illius vis acerbos dolores dentium fopendi ex carie dentis ortas, fi ope goffypii incariosum dentem immittitur, vel etiam gingivis genisque infricatur, aqua folutum. Spafmos variarum partium hyftericos aliosque egregie foluere externe adhibitum opium Cel. WHYTT inprimis frequenti obferuatione edoctus adfirmat, immo quietem et fomnum hoc modo vfurpatum conciliare obferuatio Cel. RICHARD de la PRADE (Iournal de Medicine Tome xxxvi.) evincit. Sed haec fufficiant.





---

---

*T H E S E S.*

*Cortex peruvianus male pro specifico in gangraena habetur.*

*Sic etiam Opium in gangraena senili non est specificum.*

*III.*

*Non dantur limites certi inter venena et medicamenta.*

*IV.*

*Verosimile est, inflammationem Cerebri non esse Causam phrenitidis.*

*V.*

*Februm intermittentium causa in primis viis latet.*

*VI.*

*Vomitoria in illis, finito paroxismo, data, multa efficaciora sunt, quam ante paroxysmum.*

*VII.*



---

VII.

*Sublata causa non semper cessat effectus.*

VIII.

*In febribus inflammatoriis sanguis non est dissolutus, ut Hewson contendit, sed condensatus et spissus.*

IX.

*Abstinencia a cibis nimia sanitatem minime conservat.*

---